IOH. GODOF. BVCHNERI
EPIST. III.
DE
LAPIDIBVS
PRETIOSIS
IN
VOIGTLANDIA.
AD
DOMINVM DOCTOR.
FRANCISCVM ERNESTVM
BRVCKMANNVM.

MDCCXXXXIII.

Digitized by Google

Dn. Langhaus Unterricht von denen Monath-Steinen. Præfat.

Der Orient giebt uns gewiß ſehr ſchöne Schätze,
    Die ich hier alle nicht erzehlen kan noch will,
GOTT giebt ſie, daß man ihn erkennt und ſich ergötze,
    Denn GOTT hat ſtets ſein Lob und unſer Heil zum Ziel.
Jetzt will ich dir nur was von raren Steinen ſagen,
    Mit denen Orient und auch Europa prangt,
Die Ungarn, Schleſien und Böhmen häufig tragen,
    Und die ein kluger Fleiß zu ſeinem Lohn erlangt.

* * *   * * *

* * *

Der gelbe Hyacinth, der blaue Amethyſte,
    Der Jaſpis mancher Art, der blauliche Saphir;
Smaragd und Chalcedon ſind man in mancher Wüſte,
    Da leucht ein Carniol, ein Sardonix herfür,
Hier ſpielt ein Chryſolith, Berill, Aquamarina
    Genandt, ein Topaſier, und dort ein Chryſopras.
Zwar ſindt man ſie recht ſchön in Perſien und China,
    Doch { Schleſien zeigt / Voigtland zeiget } uns davon oft auch noch was.

Digitized by Google

VIR EXCELLENTISSIME ATQVE DOCTISSIME, FAVTOR ET AMICE AESTIMATISSIME.

Multum ſane lapides iſti pretioſi, quibus noſtra abundat Voigtlandia, dictis hic jactari atque prælaudari poſſent, ſi modomajori e ſinu terræ effoderentur diligentia. Aſt dolendum maxime eſt, inter tot illius incolas, & natos ibi & educatos, tam paucis vel parum aut nihil de hiſce conſtare, ut ita plerique occulti nobis atque inutiles maneant, cum tamen ex hacce perveſtigatione multum huic regioni accederet laudis; ſiquidem gemmis ſolers rerum Natura, vel potius Deus, abſolutius fere nihil inter lapides, particulam nempe radiantem illis tribuendo nobiliorem edidit, hincque multis nulla ſui parte mirabilior videtur. Jam vero iſtud *Plinii Lib. VIII. Epiſt.* 20. & apud nos quoque valet: *Ad quæ noſcenda iter ingredi, tranſmittere mare ſolemus, ea ſub oculis poſita negligimus: ſeu quia ita natura comparatum, ut proximorum incurioſi, longinqua ſectemur, ſeu quod omnium rerum cupido langueſcit, cum facilis occaſio eſt.* Suas ergo qui hac in re ſunt negligentes & parum curioſi, ignorant divitias, atque ſic theſauros poſſident, quos ipſimet vere neſciunt.

Etenim *Chryſolithus* invenitur prope Reichenbachium, quanquam facile frangibilis, ſplendore tamen ad candorem inclinans; nec non *Iris* haud procul ab Auerbach, quæ radiis ſolis oppoſita ex opaco Iridis colores, Priſmatis ad inſtar, reddit. Aſt præſtantior demum evadit, ſi glutini incluſa aliquantum temporis crematur, quo pacto majorem ea nanciſcitur puritatem; quemadmodum & in montibus Auerbacenſibus arenoſis prope Falcken-

)(2 ſtein

ſtein *Amethiſto* perquam ſimiles ſæpius occurrunt lapides, ut adeo ſpes omnino haud ſit inanis, fore, ut in poſterum majora ex iis capi queant commoda. Vid. *Stellæ Interpretam Gemmar. pag.* 28. *it.* Kurtze Beſchreibung des Meißner Landes *pag.* 9. 12.

Sic quoque nonnulli in Dynaſtia Schleiz lapides *Asbeſti* ſimilantes imaginem, nonnunquam ſibi occurriſſe perhibent, cujus Hiſtoriam naturalem *Tibi*, *Vir Præſtantiſſime*, debemus. His autem magis adhuc abundat vicus *Altenſaltza*, non procul a Plauen: *Adamantes* etiam qui ex ſententia *Plinii in Hiſt. nat. lib.* 38. *cap.* 4. diu nonniſi Regibus, & iis admodum paucis cogniti fuerunt, dantur in finibus Dynaſtiæ Greiz, prope Beyersdorf, ut & apud Irſersgrünium, in vicinia civitatis Reichenbacenſis, licet non ea duritie, nec ſplendore, quo indici, de quibus *Planerus in Hiſtor. Variſc. pag.* 61. ſequentia habet: *Eſt genus Adamantis, quod juxta Irſersgrünium in patentibus campis, tum & in viſceribus terræ hic illic reperitur. Rubinos* notiſſimus ille Italus *Sebaſtian Verſo* in vicinia urbis Saalburg detexit. Vid. Anon. Beſchreibung des Fichtelberges. *pag.* 305.

Hæmatitem autem maximo pondere ſanguineoque rubore, metallifodina præbet Auerbacenſis, vulgo der Irrgarten, quæ ab iis imprimis utiliter adhibetur, qui ſanguinem evomunt. Nec ſine ratione permulti quoque ſuſpicantur, auri certam ipſi, ob maximam ejus gravitatem ineſſe quantitatem de quo tunc quidem certius aliquid adfirmari poterit, ſi chymica quædam cum ea tentata fuerint experimenta.

Jaſpis quoque generatur *viridis* in Dynaſtia Greiz, non procul a Teichwolframsdorf, ut & in confiniis civitatis Hof, ubi ab iis nonnunquam invenitur, qui lapides eruunt. Vid. Kirchmayer Bedenken von den Bergwerken in Franken und Voigtland. Nec minus eadem quoque nobilitata eſt urbs Cygnea, hinc conterraneos illius *Eraſmus Stella in Interpretam Gemmar, p.* 21. de hac gemma ibidem effoſſa ſequentia refert: *Tanta copia eruitur, ut ædificiis publicis (rudi tamen forma) a veteribus ſit incluſa. Hac vero tempeſtate atteruntur non ingrata ſpecie, nec in formam unam, partim enim capſulis aptantur, partim poculis, partim tabulis alearum, pars etiam globulis, quibus chriſtianae preces numerantur. Hæc gemma e* Germa-

Digitized by Google

Germania aliis gentibus diſtrahitur. Conf. etiam *Annal. Phyſico Medic. Wratislav. Supplem. I. pag* 86. adeoque lapides inter pretioſos, ob magnitudinem rariores, referri merito poteſt, de quibus exempla profert potiora Dn. *Leſſer in Lithotheol. pag.* 355.

Topaſios quod attinet, nec iis noſtra caret Voigtlandia, quin potius earum fœcunda quoque eſt mater; ſiquidem hæ primum A. 1727. per hominem malæ nobis in notuerunt notæ, qui campos ac ſylvas permeando tandem venit Auerbachium ibique ſplendentes quosdam vultu advertit lapides, quos ſtatim in exteras ſecum exportavit urbes, cumque tales Topaſios, Orientalibus neutiquam cedentes, cognoviſſet, plura inde per aliquot temporis ſpatium lucratus eſt. Tandem vero multa non ſine ratione mala, ex furtivo hoc metuens negotio, Clementiſſimum Saxoniæ adiit Electorem, Eique abſconditos hactenus in Provincia Ejus aperuit theſauros, a quo etiam donis & honoribus locupletatus diſceſſit. Poſt hæc fundus iſte ad Nobilem de Trütſchler in Falckenſtein pertinens, tanquam Regale Sereniſſimo Electori venum traditus, ſtatimque ædibus quibusdam inſtructus eſt, ac hodienum nomine der Königs-Kron ſuperbit. Et ab hocce demum tempore magna earum copia ab aurifabris aliisque artificibus ad varios præparatur uſus, nec ſine lucro divenditur. Vid. *Androphili* Reiſe-Beſchreibung durch Francken, Sachſen und Schleſien. *pag.* 228.

Cæterum maxima iſta rupes omnium ventorum fragores ſpernens, altitudine 70. ulnas æquat, traduntque nonnulli, Topaſios ibi natas duritie Hiſpanicas ac Bohemicas longe ſuperare, ſplendore autem igneo atque aureo Orientalibus omnino eſſe æquiparandas. Vid. *Acta Academ. Nat. Cur. Vol. IV. Obſ.* 82. *Dn. D. Henckelii*, qui ſimul hæcce adhuc refert: *Eſt gemma non patria ſolum, ſed & multorum regnorum ſine pari, qualem nec vidi, nec ab aliis deſcriptam legi. Exteri melius norunt iſtam, quam noſtri. Tanquam orientalis venditur & noſtris.* Conf. etiam Fratris mei Germani *Dn. Büchneri Miſcellan. Phyſ. Med. Mathemat. An.* 1728. *pag.* 1058.

Sic quoque magnitudine ceteras, comparative nimirum & reſpectu aliorum lapidum parvas, utcunque vincit gemmas; ſiquidem Dresdæ quædam in Gazophylacio Regio maximæ molis

ex hacce conſpicitur lapidicina, pondere aliquot centenarios referens unde creditu haud difficile eſt, Arſinoæ, Ptolomæi Philadelphi uxori, ex lapide ejusmodi factam eſſe ſtatuam 4. cubitorum, & in delubro, aureum, quod nominatur ſacratam. Vid. *Jonſton. in Thaumatogr. pag.* 162.

Tandem & Goletium fluvius egregios nobis mittit *Hyacinthos;* quemadmodum & *Achates & Chalcedonii* hinc inde pariter reperiuntur. Imo in locis montanis, rivis, aquarumque rimis, tum & patentibus campis varii ſæpius offenduntur lapides, qui arte rite præparati gratum nonnunquam oculis exhibent ſpectaculum, quare dubitare non licet, in diverſos eos adhuc converti poſſe uſus, cumque extraneis permutari, ſiquidem hi iſtos indigenis ſuis ſæpius anteponunt.

Adnumerari hiſce omnino licet *ſerpentinos vulgares & Chalcedonio intus refertos* prope Zwiccaviam, quibus maxima murorum civitatis pars extructa eſt, & in cujus confiniis latet etiam *Malachites*, non tranſlucens, aſt ſpiſſius tamen virens; ut & *Cryſtallum* prope Hermansgrün in Dynaſtia Greiz; nec minus *Gagates* lapis, plurimus alias optimusque in Britannia, e flumine amnis Gagatis rejectus. Noſter vero eſt niger, planus, levis, igni admotus ardens, attrituque calefactus paleas detinet, æque ut ſuccinum.

Sic ſalæ quoque fluvius, in vicinia arcis Burgk, egregium alit fovetque *Lapidem lydium*, alias ab Indis nonniſi accerſendum, coloris admodum nigri; metallorumque frictiones per quam facile admittentem, quem nonnumquam etiam oſtendit flumen Eliſtri. Plures quidem ejus ratione coloris dantur ſpecies, ſunt enim partim cinerei, partim ex pallido virides, ſed nigri tamen reliquis ſemper præferuntur. Vid. die curieuſe Heimlichkeiten von Raritäten und Wunder-Künſten, ubi modum hos lapides, metallis auri & argenti imbutos, depurandi, invenies.

Quid vero de noſtris ultimo loco dicam *Margaritis*, quas ſecum vehit alitque fluvius Eliſter, & quæ maxime fæminarum ſerviunt luxui? Siquidem præſtantiſſimæ elegantiſſimæque prope Olsnitz & Adorf quotidie colliguntur, id quod Scriptores perplures fide ſatis digni abunde teſtantur interquos heic loci ſaltem mihi ſufficit *Rolfincius in diſſert. de Margarit. & Planerus in Hiſtor. Variſc.*

Variſc. inter alia hunc in modum verba faciens: *Conchæ longævæ, & vel in ducentos annos & amplius durant. Mortuæ exundatione fluminis ejiciuntur. Capiuntur a quo tempore aqua imprimis claret, menſe Majo, Junio, Julio. - - - - Captura ab Eliſtro pago incipit, Eliſtrobergæ ceſſat. - - - - Immaturæ cærulei coloris, maturæ candidi. In conchis pleriſque ſingulæ, paucis binæ, pauciſſimis terniæ aut plures.* Quanquam Greizæ quædam piſi magnitudine una cum undecim aliis minoribus adhuc immaturis ante aliquot capta fuerit annos, cujusmodi & Zwiccaviæ in piſcina ſunt repertæ. Vid. *Miſcellan. Phyſ. Med. Mathem. An.* 1728. *pag.* 1057. *it. Autor* des ſich ſelbſt bekennenden Sachſens. MSt. ubi quoque traditur, Principiſſam quandam Saxo. Zizenſon ejusmodi uniones in collo geſtare non fuiſſe dedignatam. Conſ. uberius *Stella in Commentario ſecundo de rebus ac populis priſcis. it. Albini* Meißniſch. Chron. *tit.* 18. *pag.* 141. & *Paulini* Zeitkürtzende erbauliche Luſt. *P. III. n.* 23.

Complures etiam *Autor* der Beſchreibung des Fichtelberges indicat fontes & fluvios illius tractus, in quibus margaritæ ſat elegantes reperiuntur. Præcipue autem a *Dn. Donaver*, Conſiliario & Medico, rivus nominatur haud multum a vico Pilgramsreuth per prata transfluens, margaritifer, ſub nomine Perlenbach jure ideo veniens, in quo paſſim ſeſe oculis magna offert quantitas concharum, tam clauſarum, quam hiantium, & in ipſo incluſi animalculi corpore margaritas tenentium. Conſ. *Commerc. liter. Norimb. An.* 1731. *pag.* 51. Cæterum de Margariticarum generatione ac piſcatione plures allegavit Autores Dn. *Kundman in Promtuar. rer. natur. & artific. pag.* 129. & 185.

Ex hiſce igitur omnibus clare ſatis patet, Voigtlandiam noſtram præ multis regionibus aliis a Deo Ter Optimo Maximo variis opibus impletam, divitiisque, quarum amore immodico mortales ardent, cumulatam eſſe. Quis ergo nunc negaverit, iſtam hac in parte locupletioribus Indiæ orientalis regionibus ad mundum muliebrem etiam quod ſpectat, neutiquam eſſe inferiorem, ſiquidem quotidie novi in ea deteguntur theſauri, priſcis temporibus plane incogniti; quanquam optimum alias fœminarum ornamentum ſit modeſtia atque pudor. Tritum igitur iſtud veritati omnino *Virgilii* conſonat effatum;

O!

Digitized by Google

O! fortunatos nimium ſua ſi bona norint!

Etenim concinne admodum *Scriverus in præfatione ad Gottholdi* zufällige Gedanken monet: Das Buch der Natur hat viel tauſend Blätter, darauf der Finger GOttes ſeine Liebe beſchrieben, die er durch mancherley Begebenheiten herum wirft, und uns ſeine Höhe, Tiefe, Weite, Breite, Güte, zu betrachten aufgiebt. Sed nunc tandem

Querela, quod inter lapides pretioſos *moralis lapis* tacetur.

Virtutes lapidum multi ſcripſere, moralem
  Te quis non credat, ſed ſiluiſſe nefas?
Mentio nulla Tui ſit, Te mola carmine juſto
  Cur privant docti? commoda curque Tua?

* * *

Qui fit? quum decus es lapidum, quum nobile pondus?
  Quum ſine Te vitam ducere nemo poteſt.

* * *

Exornat digitos gemma, at tu fercula Regum,
  Namque labore Tuo fit mediante Ceres.
Non metuis fures nocturno tempore, vel quod
  Eſt majus, nervos Phalaridisve minas.
Te non corrodunt mures, tu ſingula rodis,
  Tu tineas paſcis, paſcis at ipſa Deos.
Sit ſane gemmis virtus, ſint præmia magna,
  Majora ipſe lapis commoda (crede) feres;
Decipit emptorem per ſæpe, imponere gemma
  Conſuevit fuco, Tu petra fraude cares.
Dignam igitur Te laude molam Te laude moralem
  Cur quis non credat, praeteriiſſe nefas?
Cætera (blandiri ne videar forte) relinquam,
  Sit ſatis ad gemmas nam numeraſſe malam

Marbod. de lapid. pretioſ.

Scribebam Greizæ ex Muſeo.
An. 1743.

J. G. B.

00 56 52 656

O! fortunatos nimium ſua ſi bona norint!
Etenim concinne admodum *Scriverus in præfatione ad Gottholdi* zufällige Gedanken monet: Das Buch der Natur hat viel tauſend Blätter, darauf der Finger GOttes ſeine Liebe beſchrieben, die er durch mancherley Begebenheiten herum wirft, und uns ſeine Höhe, Tieffe, Weite, Breite, Güte, zu betrachten aufgiebt. Sed nunc tandem

Querela, quod inter lapides pretioſos *moralis lapis* tacetur.

Virtutes lapidum multi ſcripſere, moralem
Te quis non credat, ſed ſiluiſſe nefas?
Mentio nulla Tui fit, Te mola carmine juſto
Cur privant docti? commoda curque Tua?

* * *

Qui fit? quum decus es lapidum, quum nobile pondus?
Quum ſine Te vitam ducere nemo poteſt.

* * *

Exornat digitos gemma, at tu fercula Regum,
Namque labore Tuo fit mediante Ceres.
Non metuis fures nocturno tempore, vel quod
Eſt majus, nervos Phalaridisve minas.
Te non corrodunt mures, tu ſingula rodis,
Tu tineas paſcis, paſcis at ipſa Deos.
Sit ſane gemmis virtus, ſint præmia magna,
Majora ipſe lapis commoda (crede) feres;
Decipit emptorem per ſæpe, imponere gemma
Conſuevit fuco, Tu petra fraude cares.
Dignam igitur Te laude molam Te laude moralem
Cur quis non credat, praeteriiſſe nefas?
Cætera (blandiri ne videar forte) relinquam,
Sit ſatis ad gemmas nam numeraſſe malam

Marbod. de lapid. pretioſ.

Scribebam Greizæ ex Muſeo,
An. 1743.

J. G. B.

00 5659,553

Digitized by Google